

DEDICATIO.

Ecce Illustris RICHTERE profectuum meorum primitias, licet non ita perpolitas, ut TVIS oculis, sub quibus creuerunt, merito obiiciantur. Haud eas, sed mentem adspicias velim, qua TIBI offeruntur, mentem in TVI semper defixam cultu. Nullum certe scio, cuius exploratior mihi fides & benevolentia sit, cui ut magnam incolumitatis suae partem praesens vitae meae status debet, ita futurus multum inde ornamenti ac perfugii sibi promittit. Quinquennium fere Vir Illustris excurrit, quo hospitio TVO susceptus, & priuata, & publica institutione TVA adiutus solidiora medicinae fundamenta iecisse mihi videor, ita ut quicquid profecerim me, TIBI potissimum debere credam. Accipe VIR VENERANDE publicum hocce reuerentiae & obstricti animi testimonium, meque TVI nominis celeberrimi cultorem esse deuinctissimum persuasissimus esto.

VOBIS autem, Illustres & Excellentissimi SCHREIBERI, accipiti & fluctuante consilio, tanquam vile nimis munus dissertatiunculam hancce offero, at ideo forte non displicituram, quia illius ingenii, quod RICHTERI vestri opera finxit, primitiae sunt. Bis mihi licuit in hac sede musarum VOS obseruanter salutare, licebit eiusdem obseruantiae meae publicum exhibere pignus, cum voto prosperrimi rerum consiliorumque omnium successus. Valete in publicae rei decus & ornamentum.